



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Alia complura exempla, eorum, qui religione neglecta pessum ierunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

gliam appellauerunt. Tantum porrò decursu temporis ibi creuerat errorum colluies, ut quo tempore S. Gregorius pontifex Augustinum cum aliquot Monachis socijs in Angliam ad propagandam fidem destinasset, inuentis nonnullis hæreticis Episcopis, nullū Catholicum repererit. An non hîc Deus causam habuit, hostes suos armis excindendi, aut Martia manu e terra sua eijciendi & fugandi, tamquam colubros excantatos aut effumigatos? Quid iuuat designare, & non ferre? eludere eminus, infrendere cominus? Aliter Deus regit. Expectat pœnitentiam, tempus dat emendationi, quæ ubi non sequitur, sed omnia in peius ruunt, tandē clamat: *Finis venit: venit finis, euigilauit aduersum te, ecce venit.* Quare etiam Angelus clamanit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam matura sunt vua eius.* Neque Angeli similes sunt humana tarditati, quæ etiam maturas vuas sæpe sinit in vite putrescere.

Ezech. 7. 6.
Apoc. 14. 18.

Post modò recitatam de Anglia historiam, subiungit Petrus Ribadeneira alia exempla. Cùm Albainus, inquit, Longobardorum rex, Italiam ingressus, Venetias, Liguriam, & Galliam Cisalpinam, (qua nunc ex illorum nomine Longobardia dicitur) occupauit, illæ Regiones multis erroribus ac hæresibus redundabant, & in Conciliis Constantinopolitanum ac Chalcedonense admodum erant contumaces. Quid illa memorem infelicia ac tristissima tempora, quæ orbis terrarum exitium atq; perniciem Mahumetum nobis dederunt? quot errores atq; hæreses contra Catholicam Religionem illis temporibus toto Oriente uigebant? nam Heráclius Imperator, hæresi infectus beneuolus se ac fauentem præbebat impietatis sectatoribus, neq; ab eis huius sceleris pœnas reposebat. Et, ut hoc caput concludam, vrbs Constantinopolis capta est euersaq; a Turcis anno nostræ salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, eo ipso tempore, quo vita functis Palæologo Imperatore, & Patriarcha Constantinopolitano (qui non multo ante in Concilio Florentino ad unitatē Ecclesiæ Romanæ se aggregarant) & neglectis sanctissimi Concilij Florentini decretis, Græci, a suo capite diuulsi, a Deo etiam Opt. Max. defecerant. Quamdiu enim in Græcia floruit Religio, tamdiu floruit Imperium, & Religione deficiente, defecit quoq; Imperium, in cuius locum seruitus, captiuitas, strages, ruina, calamitas subintrarunt. Nostra atate Liuonia Prouincia, qua militibus S. Ma-

X.

Petrus Ribadeneira lib. 1. de Princ. Christian. c. 29.

via, quos Tentonicos vocant, parebat, venit in potestatem Mosconitarum, anno post Christum natam 1558. cum non multo antè à Catholica Religione defecisset, & Lutherana prauitatis incendio deflagasset. Hungaria præterea & Transiluania, huius veritatis rectissimos testes habemus: quam hætenus vidimus confirmatam in litteris sacris auctoritate Spiritus sancti; testimonijs sanctissimorum & sapientissimorum Patrum, exemplis, nobilitate & pietate præstantissimorum Principum; supplicijs & pœnis, quas Deus ab ijs exegit, qui ab eius tramite deflectentes, per obliquos atq; contortos viarum anfractus incedendū sibi existimarunt; deniq; ratione & experientia, quibus docemur, Christum cum Belial, Catholicum cum hæretico conuenire non posse; nec perturbationibus ac discordijs immunem fore Ciuitatem ac rempublicam, in qua licet cuiq; quam volet pro sua libidine, Religionem amplecti; nec debere Christianum Principem in suis regnis effusa licentia & libertatis conscientia frana laxare, si ea conseruata cupiat, & debitum Christiano Principi munus persoluere. Hæc sunt, quæ in re proposita Christiana Religio nos docet; nec Religio tantum, sed & recta ratio, quod secutus Mæcenas, Augusto Imperatori gratus & per familiaris, ei auctor fuit, Dione teste, non permitteres aut introduci, aut Roma externos Deos coli, & acerrimè in eos animaduerteres, qui sectas alienas sectantur: Sic enim fore, ut omnes ad Romanum Deorum cultum se fingerent atque conformarent, cuius sui consilij eam causam adferebat, quod hæc res ad Imperij pacem ac securitatem pertineret. Hæc ille, quæ sufficiunt, ad belli causam ex neglectu religionis scaturientem declarandam.

XI.

Præter hæc causas alia adhuc superest longè grauissima bellorum, & sola digna centum hostibus, nimirum magorum dæmoni auctoratorum multitudo, qui cum Deum abiurârint, sacramentum horrendum satanæ dixerint, ad nocendum omnibus vigilantes sunt, & semper intenti Dæmonum instinctu, iussu, supplicijs, sua nequitia aguntur ad alios in eadem præcipitia attrahendos. Multis tamen locis fiuntur impunè viuere, nocere, grassari, triumphare. Non desunt illis aduocati, qui crimen cum defendere non possunt, legum interpretationibus, processuum difficultatibus maleficos ita muniunt, ut damnari haud facile possint. Quoniam ergo in vrbibus, in pagis, inter summos & imos, passim versantur, qui pietatem quidem simulant, re ipsa tamen

atque

atque in intimo pectore sunt dæmonum cultores, eiusq; in omni scelerum genere administri, & iurati hostes humani generis, quos publicæ leges molli brachio persequuntur; mirum non est, manum Domini grauem super nos esse. Si regum, aut Principum quispiam vel verbo lædat maiestatem, parata sunt exquisita supplicia, documenta vndique congeruntur: cum verò à Deo receditur, cum dæmoni sacrificia offeruntur; cum Satanus in throno æternæ maiestatis collocatur, negligitur Deo illata iniuria; dæmonibus præstita obsequia pro nihilo habentur. Neque magistratus tantùm ciuiliis hîc conniuet, sed multi etiam concionatores obmutescunt; vel quia de hoc hominum genere emendando desperant; vel quia sibi à magis ipsis timent; quasi orcus potentior sit cælo; aut non inuenti sint etiam in hac classe peccatores pœnitentes: quales vel ego indignus concionator, & ipse peccator complures expertus sum, vel vnica historia sequenti recitata.

C A P V T LXIII.

Deum, & Magistratum ciuilem ad vindictam, peccatores autem ad pœnitentiam, ipsa multitudine & magnitudine bella merentium, eorumq; præcipuè, qua venefici & veneficorum imitatores perpetrant, prouocari.

Scripsit aliquando ad D. Augustinum Victorianus presbyter, & rogauit illum, vt librum componeret, quo multis grauibusq; malis pressos Christianos consolaretur; cui D. Augustinus in hunc modum rescripsit. *Littera tue impleuerunt grandi dolore cor nostrum, quibus petisti, vt prolixo opere aliqua responderem, cum talibus malis magis prolixus gemitus & fletus, quam libri debeantur. Totus quippe mundus tantis affligitur cladibus, vt panè pars nulla terrarum sit, vbi non talia, qualia scripsisti, committantur, atque plangantur. Nam ante paruum tempus, etiam in illis solitudinibus Egypti, vbi monasteria separata ab omni strepitu, quasi secunda degebant, à barbaris interfecti sunt fratres. Iam verò qua modò in Italia sinibus, qua in Gallia nefarie perpetrantur, etiam vos latere non arbitror. De Hispanis quoque, tot Pronincijs, qua ab his malis dicebantur intacta, ceperunt iam talia nuntiari. Sed longè immut*

Ecce

I.

S. Augustin
epist. 122.